
EX LIBRIS
W·G·LENNOX·

£3.3

130

To William Kerr Esqr. –
with the affectionate
regards of his sincere
friend
the
Author. –

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CORDIS PALPITATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS LOCOCK,

ANGLUS,

REG. MED. SOC. EDIN. SOCIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat P. Neill.

MDCCCXXI.

ANDREÆ DUNCAN JUNIORI,

M. D. S. R. S.

IN HAC ALMA ACADEMIA

MEDICINÆ THEORETICÆ PROFESSORI,

AC

DE MEDICINA CLINICA PRÆLECTORI,

&c. &c. &c.

VIRO

PROPTER SUMMAM ERUDITIONEM

MORUMQUE SUAVITATEM

INSIGNI;

OB PLURIMA ET OPTIMA BENEFICIA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

IN SE COLLATA,

POTISSIMUM VERO DUM

GRAVISSIMI MORBI IMPULSU

AD MORTIS JANUAS USQUE DUCENTIS

NUPER LABORABAT;

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

PERGRATISSIME ET REVERENTER,

DICAT

AUCTOR.

BENJAMINO COLLINS BRODIE,

SOCIETATIS REGALIS LONDINENSIS

SOCIO,

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ

IN COLLEGIO CHIRURGORUM REGIO LONDINENSI,

PROFESSORI,

IN NOSOCOMIO *SANCTI GEORGII*, CHIRURGO,

&c. &c. &c.

CAROLUS LOCOCK,

S. D.

TIBI, Amico dilecto atque Præceptori eximio, publicis privatisque virtutibus illustri, hunc libellum me, alumnum tuum, editurum, memoria consilii, beneficiorumque et officiorum multorum, consecrare impellit: non magis ut animum gratum ostenderem, quam ut paginam unam NOMINE *tantæ existimationis ornarem.*

Gloriari enim propter talem amicitiam maxime licet: "Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt, TALIUM VIRORUM *tanta studia assequi sola virtus potest."—Vale.*

AVUNCULO SUO SPECTATISSIMO,

CHRISTOPHERO SMYTH, Armigero,

CUJUS SINGULÆ PER LONGAM VITAM ACTIONES

AMORE GENERIS HUMANI PROFLUERUNT,

SED HAUD MINUS

BENEVOLENTIA ET ANIMI INTEGRITATE

ORNATO,

QUAM ALIIS VIRTUTIBUS;

~~Hoc~~ Hunc LIBELLUM,

ANIMI IN ÆTERNUM GRATI,

QUAMVIS LEVE TESTIMONIUM,

SUMMA REVERENTIA,

DEDICAT

AUCTOR:

NECNON,

PATRI OPTIMO CARISSIMO,

HENRICO LOCOCK, M. D.

Nosocomii Generalis *Northamptonensis*,

CHIRURGO EXTRAORDINARIO;

HOC PIGNUS AMORIS,

SUMMA PIETATE,

CONSECRAT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CORDIS PALPITATIONE.

CAROLO LOCOCK Auctore.

OMNIA quæ ad medendi scientiam pertinent, quamvis moneat ratio, tamen experientia ad comprobanda requiritur: aptiusque videtur me, adhuc inexpertum, ex aliorum observatione potius quam ex nostra, quæ sim dicturus, deducere. Quod si eadem postea provectiore ætate prosequar, de iis rebus melius judicare ex experientia licebit, quæ in juventute rationi solum consentaneæ esse videntur.

Pauca quidem hominibus, medicis nihil dignius est, quam eos affectus, de quibus tractare proposui, scilicet, illas cordis functiones læsas, machina nondum vitiata, considerare.

Jucundissimum erit cognoscere signa, quæ in quibusdam vitia cordis ipsius denotant, ex aliis causis oriri posse, et nonnunquam fallacissima esse. Discrimina maxime desiderantur, cum animadvertimus causam præcipuam et maxime communem esse anxietatem et metum ægri, ne vitium aliquod cordis ipsius adsit, quod non medicinæ pateat, et, ex improviso, deleat vitam. Carolus Bell judicavit, etsi cor ipsum sæpissime morbis affici videtur, et miseriæ oppressionisque omnia signa ostendit, tamen illa organi ipsius vitia, quæ post mortem inveniuntur, rarissime accidere. "This is to be ascribed to the more lively sensibility of the heart, and its strict dependencies upon the reciprocal actions of the whole system,—so that whilst the feeling of disease in the heart is common almost to a necessity in every more universal disease, its organic derangements are comparatively few *."

* "System of Dissections," p. 53.

Admodum notabile videtur, cordis morbos intra paucos annos frequentius accidisse; veruntamen hoc non tantum ex morborum incremento, quantum ex investigatione anatomica magis accurata, indagationeque magis extensa, quæ ad notitiam causarum adhuc abditarum, et ad phænomena morborum multum contulerunt, accidisse videtur. Tametsi hi affectus forsitan revera augeantur, et alii rationem dederunt, mentis exercitationem adauctam in nostra ætate, propter majorem literarum extensionem (ex quibus major sensibilitas fit), quæ procliviores homines ad morbos generis nervosi reddidisse videtur; namque animum cum corde magnum commercium habere non dubitandum est.

Alii jure notaverunt, medicos his morbis cordis imaginatis, quam alii, magis pronos fuisse; partim forsan ex exercitatione nimia vel mentis anxietate, quibus, in vitæ officiis, subire coguntur. Ex his oriuntur dyspepsia et concoctio difficilis, et hoc modo cordis functiones pravantur. Sed quoniam sunt alii, qui, ex aliis causis, dyspepsiæ obnoxii sunt, quique palpitatione cordis non laborant, verisimilius videtur, medicos, quanti mo-

menti hoc organum sit præscios, quamque necesse sit functiones ejus rite effici, citius perturbationes ejus quam levissimas sentire ; et, ex timore cordis ipsius morbi, quod accidere potest, accidisse credunt, et in hoc modo timores morbo inserviunt, signaque augent.

Plurima subitæ mortis exempla, quæ auctores enarraverunt, ex cordis vitiis originem duxerunt; et quoniam investigationes recentiores hæc sæpius exstitisse monstraverunt, signa plus studii moverunt, et quam plurimum notitia nostra de hac re adaugetur.

Diagnosis morborum thoracis multo magis difficilis quam partium aliarum est: quippe quod fabrica illa ossea circumdante, per pressuram de morbi causa sedeque, sicut in abdomine, scire nihil possumus.

Nuper Corvisart ad hanc indagationem per thoracis percussionem multum contulit; post quem, Lænnac instrumentum cylindricum invenit, *Stethescopen* dictum, per quod auscultatione, an structura ejus vitietur necne, scire possumus. Quamvis autem multum utilitatis ex hoc vel illo modo in pulmonis vitiis acquiretur,

tamen parum ad notitiam cordis morborum alteruter confert.

Plurimi auctores, ubi de palpitatione tractaverunt, per naturam ejus vel per causas, in varias Species distinxerunt: Alii spissitudini sanguinis vel nimio acori,—alii abundantiæ bilis vel pravationi,—alii concoctioni vitiatæ,—alii functionibus nervorum læsis, adscripserunt, et in hoc modo Classes ordinaverunt. Mihi optimum videtur, de Idiopathicis et Symptomaticis dicere; tametsi, an revera ulla species idiopathica sit, dubitandum est.

In Nosologia ejus, Professor illustris CULLEN, Palpitationes in Classe "Neuroses," Ordineque "Spasmi," collocavit; et definitio est, "Motus cordis vehemens, abnormis."

Palpitationes autem veræ multum distant ab illo cordis motu vehemente, qui in febribus commune signum est, quique evanescit, morbo evanescente. Namque in his sanguinis cursus non tam impeditur, quam majore vi impellitur. Palpitatio vera autem sæpius intervallis sine ulla evidente causa oritur, et motus cordis valde inæqualis est.

Auctores dixerunt, cum semel sensus hujus nobis cognitus sit, medicum nunquam postea de hac re falli posse. Burns ita definit, "When we are called to see a patient with genuine nervous palpitations, we find the heart, when we apply the hand over the chest, acting more unrestrainedly than usual: it flutters in the thorax, and strikes confusedly against the ribs; still this action is only a modification of the healthy one, for we feel the pulsations of the heart in the usual place *." Et Corvisart dicit diagnosin facilem esse, "entre les palpitations legères, foibles, fugaces, dont la cause, ordinairement morale, est connue: et les palpitations fortes, violentes, frequentes, presque continues, pendant des mois, des années, dont les causes sont souvent obscures, et presque toujours anciennes, et qui sont des signes de maladies de cœur †." Sed nunc certiores facti sumus, palpitationes quam maxime terrificas vehementesque, per consensum solum cum aliis morbis, et ubi cor omnino sanum manet, sæpe

* Burns, "On the Heart," p. 101.

† Corvisart, "Sur les Maladies de Cœur," p. 440.

evenire. Veruntamen, ut Burns descripsit, "the fluttering" et "confused striking" vix hujusmodi morborum pessimis exemplis applicari possunt, quin etiam si manus thoraci admoveatur, sensum habemus quasi cordis inæqualiter et vi convulsiva thoraci renitentis, eundemque contundentis. Motus ejus etiam maxime irregularis est quod ad durationem vimque et accessiones repetitas. Ex magna parte credunt medici, genus periculosissimum e cordis vera convulsione adoriri, atque in exemplis levioribus, vi haud tam magna spasmus clonicus inducitur, vix nomine convulsione dignus. Eodem tempore pulsus interdum se intermittit, sed hoc nunquam quidem non accidit, ideoque ad diagnosin parum confert: quoniam alias in toto defuit,—alias modo interfuit modo non,—et in aliis adfuit, ubi postea sectio cadaveris organum ipsum vitiatum esse monstravit. Vix tamen accidit, ut, in aliquo hujus morbi tempore, ex quacunque causa orientis, pulsus intermittens, vel etiam irregularis, non sit.

Dolores vel in hac vel in alia parte, aliquando continui, sed plerumque vagi et inæquales, hunc morbum comitantur; præcordium fere corripiunt,

humerumque et brachium sinistrum, nonnunquam tamen humerum dextrum vel simul utrumque; et variæ partes aliæ his doloribus sympatheticis subinde afficiuntur.

Hi dolores excitantur, vel *per sympathiam nervosam* (ut fere dicitur) quæ connectioni inter nervum phrenicum parque vagum et magnum sympatheticum tribui potest: vel, ut Doctor FORSTER nuper proposuit *, per compressionem mechanicam venarum dilatatarum congestionemque in nervos concomitantes. Etenim, ut semper agnoscitur, si compressio in nervum valida sit, sensus ejus hebetatur vel omnino tollitur; si levis, dolor ad extremum ejus sentitur.

Qui hoc morbo laborant, per aliquod spatium temporis sine acccssione sæpe permanent: sed postea, omnia signa fere subito, nonnunquam vero gradatim, revertuntur; plerumque ex mentis agitationibus, intemperantia, fatigatione nimia, vel ex reditu causarum aliquarum de quibus mox dicturus sum.

---

* JOHNSON'S "Medico-Chirurgical Journal," vol. ii. p. 440.

In paroxysmo ipso, palpitationes cordis interdum tam validæ sunt, ut vestes stragulaque motu ejus agitari videantur; et in quibusdam exemplis æger, ut ait SYDENHAM, illos, qui in promptu sunt, cordis percussionem in costas audire posse, credit. Simul forte accedunt brachii, humerique et temporis sinistri dolores—pulsus ad carpum intermittens fereque infirmus, et cum cordis non συνχρονος—anxietas solicitudoque in vultu depinguntur, anhelatio, spirandi difficultas, molestia in præcordiis, magna nonnunquam arteriarum carotidarum violentaque pulsatio, livor faciei, venarum jugularium tumefactio, et sæpe syncope *. Post accessionem violentam corporis languor et artuum tremor relinquuntur. Plerumque in accessionibus accidit, quoque longiores intermissiones sunt, eo plus accessiones urgent. Sed exempla haud rara sunt ubi loco accessionum et remissionum,

* Sic GREGORY, "Omnes fere causæ palpitationis syncopen quoque aliquando inducere possunt: scilicet, quidquid motum cordis turbare et convellere queat, eundem nonnunquam debilitare et suspendere potest."—*Consp. Med. Theor.* p. 146.

motus tremulus et quasi duplex cordis pulsatio constanter percipiuntur; quæ signa etiam, sicut alia, graviora fiunt ex aliqua agitatione insolita. Hæc signa leviora forsan, sed continua, imbecillimis corporibus accidunt, animique affectus deprimentes præcipue sequuntur.

DE CAUSIS.

Cum in alio loco dixerim hunc morbum, ut opinor, plurimum symptomaticum esse,—causas ex quibus oriri putatur, cognoscere maxime oportet; namque, his rebus, in morbo tractando, et in diagnosi prognosique formandis, præcipue utimur.

Imprimis, igitur, de Causa Proxima.

Palpitationes ex cordis convulsionibus constare credimus. Morbi spasmodici, apud auctores, irritatione et imbecillitate excitantur; sed imbecillitas spasmos excitare dici non potest,—modo corpus magis obnoxium irritationi reddit. Quoniam vero haud raro in infirmitatis maximæ

exemplis, excitatio tam levis est ut perceptiones nostras effugiat, imbecillitatem ipsam pro causa notare solemus. Ubi musculus inordinate movetur, ut ait Doctor PARR *, omnes causæ irritationis, omnia quæ solitum ordinem turbant, spasmum et convulsionem inducunt, quod in ventriculo, intestinis, et nonnunquam in urethra, videmus.

Ubicunque cadaverum sectio fit eorum qui cum palpitationibus, vel ex morbo organico, vel per sympathiam, mortui sunt, semper, ut puto, si circuitus sanguinis conditionem inspicimus, congestio sanguinis venosi in dextro cordis latere inque venis magnis notanda est. Neque sanguinis nigri copia solita tanquam in morte ex alio morbo coacta, sed congesta præter naturam et maxime conspicua videtur; ita ut hunc aspectum describendo, dextrum cordis latus venasque magnas sanguine turgescere, vel infarciri fere dicamus. Quoniam vero hic aspectus tam universe occurrit, hanc sanguinis in dextro latere congestionem spasmi causam excitantem esse, putare inducor.

---

* "London Medical Dictionary."

Hæc congestio sanguinis, ex aliquo impedimento in circuitu naturali, oriri potest: nempe, ex valvularum cordis ossificatione, ex polypis, ex adipis nimia copia, ex materiæ osseæ aliis partibus depositione, ex sanguinis circuitu impedito in jecore vel in aliis visceribus, ex infirmo corporis statu, inducto per dyspepsiam longam vel per defectum exercitationis vitamque desidiosam, vel per mentem anxietate hypochondriasique depressam.

Propter hanc sanguinis congestionem ratio fit, cur in minore circuitu maxima perturbatio in paroxysmo sit; hinc anhelatio, spirandi difficultas, livorque vultus et syncope. Morbi autem accessio, conatibus subitis, exercitatione violenta et omnibus quæ cordis motum accelerant, excitatur; quippe quod organum infirmius redditum, excitationem sanguinis majoris copiæ ad latus dextrum delatæ, ferre non possit.

Omnes palpitationum Causæ Remotæ sunt eæ, quæ actionem languidam (ex qua accumulatio fit) in genere venoso plerumque inducunt. Sed cum nonnunquam hæc congestio sine palpitationibus constet, aliqua alia corporis conditio forsitan sub-

sit. Quin etiam palpitationes ab aliis irritamentis excitari possunt, præsertim ab omnibus quæ genus nervosum recte afficiunt. Sic dicit Doctor GREGORY, " Spasmus inducitur hominibus jam proclivibus factis, stimulo quocunque cerebro, nervo, musculo, parti consentienti admoto *."

In quibusdam exemplis palpitationes sympathiæ inter viscera ex nervosa connectione tribui solent: et hoc non mirum est, ubi nervorum, qui ad thoracem abdomenque transeunt, connectionem animadvertimus. CORVISART tamen sympathiam tam frequentem causam esse, credere non videtur. BURNS multa affectuum cordis signa ab defectu congruentiæ in systemate vasculari excitari dicit †. Namque exempla non raro occurrunt, ubi homines cum omnibus morbi in corde ipso signis mortui sunt, neque morbus in corde, sed in arteriis positus est. " Malum," ut dicit Doctor GREGORY, " natura spasmus, variis causis inducitur, tum quæ totum genus nervosum

* Consp. Med. Theor. p. 116.

† BURNS, " On the Heart," p. 124.

afficiunt, tum quæ solum cor *." Omnes fere causæ corporis infirmitatis ad morbum, de quo nunc agitur, forsitan prædisponunt.

Nunc de plerisque morbis, quos palpitationes frequentius comitari aspiciuntur, breviter dicam, etsi hoc signum iisdem non universe constat. Ex his quidam maximam imbecillitatem inducendo, et ita corpus irritationibus affici magis proclive reddendo;—alii irritamentum ipsum, nempe congestionem venosam excitando;—alii autem per partium consensum vel per sympathiam nervosam, palpitationes efficere videntur.

Palpitatio tam sæpe Dyspepsiam comitatur, ut nonnunquam inter signa ejus enumeretur; sed cum dyspepsia ipsa crebro aliorum morborum signum sit, an ex dyspepsia, an ex morbo primario oriatur, dubitare licebit. Doctor Pemberton judicat, ventriculum certis morbis sibi propriis non solum obnoxium esse, sed etiam cum plerisque partium perturbationibus et corporis ipsius, sympathiam habere †. Hæ sympathiæ uno tem-

---

* Consp. Med. Theor. p. 116.

† "On Diseases of Abdominal Viscera," p. 97.

pore, naturæ conamen esse ad se auxiliandum, alio, (sicut in hoc exemplo) ad nullum utile consilium, dirigi videntur. Doctor GREGORY, de palpitationibus loquens, sic dicit, " Sæpe quoque oritur a ventriculo male se habente, multo onere cibi crudi aut corrupti, aëre per concoctionem minus sanam copiose extricato, variisque acribus, stimulato, distento, gravato *." SENAC palpitationes ex nimia ventriculi repletione moveri opinatur, quia in tali conditione diaphragma sursum impellitur, thoracis amplitudo minuitur, cordis motus constrictior est, et inde perturbatur †. Præterea aorta in abdomine comprimitur, unde sanguis non tam libere fluit, atque ita cor magis laborat. Sed, si hanc actionem mechanicam non consideramus, ventriculi functiones læsæ palpitationes sæpe inducunt.

LANCISUS aortæ aneurismatis suspecti ex acore ventriculi exemplum dat, quod in hoc modo explicare vult ‡. " Suspicabar ichores acres, tum

---

* Consp. Med. Theor. p. 145

† " Sur la Cœur," vol. ii. p. 522.

‡ De Aneurismatibus, p. 246.

in corde, tum in arteriis axillaribus, fibras præsertim longitudinales pungere atque irritare: hinc enim perturbato ac diminuto per contractionem diametro arteriosi canalis perturbabatur, et diminuebatur libertas sanguinis trajectionis ab arteriis in venas axillares,—unde reflexio atque repercussio ejusdem sanguinis ad suum principium." Proponit etiam, signa arteriæ cœliacæ aneurismatum, pari ratione, tam communia, non ex aneurismate vero, sed ex ventriculi conditione dependere.

Hollerius notabile exemplum dat, ubi æger, si post prandium dormivit, vel decussatim sedit, palpitationibus maximis affectus est: flatus liberatio, cum temporum clavicularumque dolore ingente, levamen semper attulit. In hoc exemplo, mirum est palpitationes ex crurum decussatione ortas esse; forsitan vero sub hac positura sanguinis fluxus in cruribus tardior redditur, et inde major copia cordi impellitur. Senac spasmum cordis flatum, tanquam intestinorum, sæpe in aliis morbum excitare putat *.

* "Itaque sicuti de vermibus modo dixi, ita de flatibus nunc dico, plerumque hos cordi molestos esse, non

Cibi certæ species quibusdam palpitationes afferunt. SENAC hominem cognovit, cui post coffæam epotam palpitationes semper adfuerunt. MALPIGHUS sine accessione hujus morbi legumina nunquam devorare potuit.

Doctor HAMILTON sic dicit *, " Palpitation of the heart is not an uncommon attendant on disorders of the stomach,—it is to be considered, indeed, as a symptom of dyspepsia. On some occasions, when it has been of long standing, and so violent and persevering as to have been the immediate cause of death, no organic disease has been discovered to which it might be referred." Doctor GREGORY, in Prælectionibus suis, ait, quod ex quinquaginta qui palpitatione laborant, quadraginta et novem esse solere in quibus signa

---

cum ejus aut pericardii cavum, sed cum subjecta intestina occupant, et ventriculum. Quæ sæpe flatus distendunt adeo, ut septo transverso, et huic incubanti cordi incommodent; sic autem manifesto patet, quod in scholiis, observationem illam additis xviii. semel, iterum, ac tertio inculcatur, flatibus erumpentibus, levari aut solvi palpitationem." MORGAGNI Epist. xxiii. 16.

* " Treatise on Purgative Medicines," p. 199.

ex organorum concoquentium vitiis potius inducuntur.

Ut dyspepsiæ autem signa crebro jocinoris morbis, ita palpitationes in multis exemplis iisdem excitantur. Si cogitamus de signorum jocinoris vitiati varietate violentiaque, non mirum erit, si per sympathiam cor affectum fuerit; sed in hepatitide longa idem etiam fit, ut puto, quia sanguis in arteriam hepaticam venamque portæ transire per viscus morbidum facile non potest, igiturque in circuitum communem repellitur, et hoc modo actiones has regulares interrumpit. Quidam familiaris meus palpitatione vehemente et molestissima, paroxysmis subitis, sæpe cum syncope, strangulationisque sensu, denique cum cordis morbi fere omnibus signis, multis annis laboraverat. Anno proximo autem hepatitide correptus est, propter quod hydrargyrum ordinatim et diu cepit, et postea, cum hepatitide, palpitationes omnino discesserunt.

Intestinorum morbi inter causas esse dicuntur. Senac scribit, palpitationes sæpe sub diarrhœa, et nonnunquam post purgantium drasticorum usum, accidere. Nuperrime exemplum vidi, ubi

palpitationes violentes vomitione propter vomitorium assumptum evidenter excitatæ sunt. Doctor GREGORY judicat vermes in intestinis sæpius causam esse. HOLLERIUS exemplum narrat puellæ rusticæ, palpitatione laborantis, quæ post vermes magna copia expulsas, sana reddita est. Cor in aliis palpitat quibus alvus nimis astricta est, sed, dejectionibus ordine factis, iterum naturaliter pulsat.

Antiqui lienem morbos excitare, magis quam hodierni, crediderunt; et cordis palpitationem nescio quibus vaporibus ex liene assurgentibus tribuerunt. Cæterum lienis, tanquam aliorum viscerum morbis, cor per sympathiam certe affici potest. TULPIUS descripsit sectionem post mortem hominis, qui palpitationibus maxime affectus erat, in quo, nihil, præter lienem induratum amplioremque quam pro natura, inventum est.

SENAC credit etiam renum morbos, præcipue calculosos, cor nonnunquam afficere. Doctor BROCKLESBY * notabile exemplum dat fœminæ,

---

* "Medical Observations and Inquiries," vol. iii. p. 274.

quæ, una cum diabetis signis, palpitationem cordis pulsumque valde intermittentem habuit: quoque melior pejorve diabetes facta est, eo minus magisve palpitationes vexarunt. Tribus autem annis, signis utriusque morbi simul nunc auctis, nunc amotis, cor cum renum conditione consensisse inferre licebit.

Sauvages, etiam in Nosologia sua "palpitationem a pancreate" enumeravit. Forsitan hoc haud raro accidit, sed unum exemplum solum inveni. Störk * ægram vidit, quam, tempore quo menses fluere solebant, vomitus violentissimus, summa pectoris angustia et cordis palpitatio subito corripuerunt. Hæc signa remediis cesserunt, sed ad fundum ventriculi continua pulsatio cum tumore percipiebatur, quæ cordis motui respondebat. Altero mense, ubi menstrua iterum prodire debuissent, nil apparuit, et iisdem signis afficiebatur. Post paucos menses, tumor in epigastrio subito amplior factus est, et mors supervenit. Adaperto corpore, omentum, ventriculusque et intestina e suis locis amota et com-

---

* "Annus Medicus," p. 245.

pressa reperiuntur; pancreatis autem fuit moles admodum magna, et adeo gravis, ut tredecim libras civiles pondere excesserit. Sectione detegebatur id in saccum extensum esse, qui plenus fuit sanguine, partim grumoso, partim adeo coacto et membranoso, ut in lamellas separari potuerit. Stork deinde rogat "an violento vomitu arteria in medio pancreate rupta continuo fudit sanguinem, et sensim pancreatis substantiam in saccum distendit, et tantæ molis tumorem produxit?"

Senibus corpus imbecillius est, torporque et idcirco congestio venosi circuitus: hinc hæmorrhoidi procliviores sunt. Hujus suppressio, vel alicujus humoris fluxus soliti, scilicet menstruum in fœminis quæ quinquagesimum annum attigerunt, ulcerum veterum sanatio, omnia, sine dubio, palpitationes inducunt. Senac etiam temperamenta sanguinea his affectionibus magis objici judicat, dicitque, "c'et à la même cause, qu'il faut attribuer certaines palpitations qui sont periodiques *."

* "Sur les Maladies de Cœur," vol. ii. p. 529.

Rursus etiam plethora generalis, præcipue cum obesitate et infirmitate, idem confert; propterea quod in his, tum excitationem auctam, tum vim resistendi diminutam, invenimus. Doctor GREGORY dicit, "Sanguinis quoque nimia abundantia, vel nimius impetus, veluti a cursu, &c. eundem effectum præstare potest *." Sub finem graviditatis quoque palpitationes haud raro adsunt, partim ab hysteria, partim a magnorum vasorum compressione, ita ut cordi copia sanguinis major feratur.

Certum est podagricos palpitationibus objectiores esse, præsertim ubi podagra repulsa est, aut male se prodit; sed hoc multum distat ab illis signis podagræ *μετάστάσεως* ad cor ab extremis partibus. Dilectus auctoris PATER, podagræ objectus hæreditariæ, per aliquot annos, cordis palpitationibus maxime laboravit, quas forsitan mentis solicitudo corporisque fatigatio graviores reddiderunt. Etsi per quædam signa, has ex podagra proficisci speravit, tamen, ne ex organico cordis morbo inducantur timens, medicum peri-

---

* Consp. Med. Theor. p. 145.

tissimum de re consuluit, qui, omnibus auditis, signa ex podagra oriri censuit. Post hydrargyrum parvis copiis cum infusione amara brevi tempore assumptum, palpitationes omnino decesserunt; postea vero podagræ quædam signa primum habuit.

In scorbuto, morbo summa infirmitate, apud optimos auctores, inducto et stipato, palpitationes sæpe occurrunt. Doctor CULLEN * sanguinis conditionem corruptam scorbuto induci credidit, et ubi natura ejus mutationem subierit, non mirum est, si actionem cordis rite excitandi vim perdiderit.

In Nosologia sua SAUVAGES locavit, "palpitationem febricosam;" et aliquibus febribus palpitationes nonnunquam adsunt, id quod SENAC febris violentiæ refert; namque in hoc morbo omnes partes agitantur, vasaque magis actuosa reddita, sanguinem vi majore in cor propellunt: "il n'est donc pas extraordinaire qu'il s'engorge, qu'il s'irrite, qu'il redouble ses efforts, que ses

---

* CULLEN's "First Lines," vol. iv. p. 428.

battemens soient plus sensibles, et se déréglent en divers cas *."

In febribus intermittentibus eædem crebrius accidere videntur. STORK †, de intermittente tractans, dicit se habuisse ægros, quibus omni die, certa hora, circa manifestam febrem, ortæ sunt cordis palpitationes aut magnæ pectoris anxietates; seque cinchonam exhibendo, ægros perfectæ sanavisse. SENAC quoque judicat has frequentiores in febribus intermittentibus esse.

Palpitationes, Asthma, Pleuritidemque et Hydrothoracem, sæpe comitantur.

In Nosocomio Regio Edinburgensi, exemplum nuper fuit, ubi palpitationes cum Anasarca ex inflammatione membranæ cellulosæ simul apparuerunt, et ubi post mortem, in cordis structura nihil vitii perceptum est.

Hypochondriasis et Hysteria morbi sunt qui sæpissime palpitationes excitant; atque in ægris sic laborantibus crebro signum est omnium mo-

---

* "Sur les Maladies de Cœur," vol. ii. p. 526.

† "Annus Medicus," p. 75.

lestissimum. MORGAGNI * post exemplum narratum mortis a palpitatione vehemente, et ubi nullum vitium cordis adfuit,—memorat eas ex turbato nervorum systemate sæpe oriri, et hanc rationem dat, quapropter hypochondriacis magis accidant, nempe nervos eorum multo procliviores esse ad abnormes repentinos motus suscipiendos. Citat etiam SAXONIÆ sententiam, qui olim docebat, " ex cerebro ortum ducere palpitationem cordis, et aliquando fieri ex solo nervorum vitio, nulla apparente læsione in cerebro." In hypochondriasi autem, abdominis viscera plus minusve fere obstruuntur, sanguis eo congeritur, et haud sine difficultate per jecur transire potest. Præterea nervos turbatos et animi inquietudinem ægri semper habent, idcirco si palpitationes oriuntur non mirum est. In hysteria eædem res occurrunt, propria cum utero sympathia valde adjuvante.

Omnes animi affectus palpitationes nonnunquam inducere videntur. HOFFMAN vero cor,

* Epist. xxiii.

ex nimio gaudio palpitare negat. Affectus qui animum deprimunt, anxietasque præcipue, hoc efficiunt. Doctor GREGORY dicit *, "anxietas si gravis fuerit et diuturna, fractis corporibus viribus, imprimis quæ sanguinem cursum efficiunt, alteram inducere poterit."

In omnibus fere exemplis, si signorum vestigia usque ad principium indagantur, ad aliquod temporis venimus, in quo animus mœstitia magna et solicitudine affectus est. Aliis qui hoc modo passi sunt, summa imbecillitas, lassitudo, dyspepsia et sæpe jocinoris turbatio accidunt. Ex hoc, quomodo cor afficiatur discernere possumus. Cæterum in aliis, ante satis temporis his affectibus fuerat, cor cum animo consensisse videtur; et in quibusdam, palpitationes simul cum animi affectione discesserunt: in plurimis, a functione viscerum concoquentium turbata, eadem animi affectione, sustinentur.

---

* Consp. Med. Theor. p. 56.

DE DIAGNOSI.

Inter omnia quidem, diagnosis maxime considerari oportet, et ex notitia Causarum quæ signa induxerunt, auxilium præcipue sperandum est *.

Infelix est, quod multis exemplis diagnosis latet, et adhuc incerta est. Tantum inquirendo perspicacissime de rebus minutissimis, corporaque secando accuratissime post mortem, ad distinctionem multum conferre possumus.

In plurimis distinguere annon palpitationes ex læso corde originem ducant vix possumus; et solum, ubi æger sanus redditur, de diagnosi morbi recte dicendum est.

Ex spatio temporis quo palpitationes durant, etiam diagnosis magis accurate ducenda est. Secundum Corvisart hoc ad rem maxime pertinet, et, in sanis, palpitationes semper evanuisse,

---

* "Les causes de palpitation peuvent dans biens des cas etablir entre elles des signes distinctifs assez concluans."—Corvisart, "Sur le Cœur," p. 440.

ubi animi affectus et res occasionales quæ induxerunt, sublatæ sunt. Aliis autem, ex iisdem causis, palpitationes accidisse, quæ, ex viribus,redituque et duratione, cor læsum esse, "par la cause qui les a fait naître,*" cito demonstraverunt. Ex his, vero, vix judicare possumus, siquidem sæpius accidit, palpitationes, cum animi affectibus a quibus inductæ sunt apparere, neque decedere; sed prava conditione facta in aliis visceribus, ex eadem causa, servantur; et nisi hæc persequimur, levari non possunt.

Corvisart rite signa notabilia indicat, inter agitationes abnormes, quæ ex aneurismate cordis oriuntur, et tremores imbecilliores ex mentis affectu:—de gradibus autem inter hæc extrema nihil dixit.

In corde læso, exercitatio omnia signa excitat, vel fere auget; sed in palpitatione ex sympathia vel ex infirmitate plethoram venarum inducente, exercitatione prudenter gradatimque peracta, morbus tollitur, vel saltem levatur. Hoc fit per sanguinis circuitum in venis, actione musculorum,

---

* Corvisart, "Sur le Cœur," p. 440.

magis æqualem redditum, vel per concoctionem hoc modo meliorem factam, vel per mentem ad jucundiora versam.

In hydrope pericardii, secundum Burns, indicia sequentia accidunt, et in intervallis paroxysmorum in cæteris exemplis non apparent. Manu regioni cordis admota, sensus est quasi aquæ saccus interpositus erat,—atque si æger se inclinat, præcipue si ad latus sinistrum, pulsus obscurus in ima parte thoracis sentitur,—simulque pulsus ad solitum locum major est. Medici periti inferre non dubitaverunt, quod pulsus maxime tardus et distinctus serum in pericardio effusum plane indicat *.

Burns credit, quod in illis quorum cordi pericardium adhæret, palpitationes accidere non possunt, quod videndum est, (sic dicit), si functiones naturales cordis notemus; quoniam plus quam dimidium cor nunquam uno tempore distendi potest, et quoniam cordis pulsatio in costas per cordis pericardiique liberum motum lapsumque lubricum inter se fit; ita, ubi semel adhæserunt,

---

* Burns, "On the Heart," p. 43.

pulsus regularis impeditur, et tantum vibratio quasi sentitur in situ quo cor quondam pulsabat, pulsusque nunc ad regionem epigastrii refertur.

In cordis inflammatione longa, (BURNS credit,) palpitatio vera, nunquam pro signo constante notari potest, ac solummodo forte accidit; atque in palpitatione vulgari dolor in thorace non fixus est, sicut in inflammatione cordis longa.

Distat ab acuta carditide vi et duratione doloris, et in hoc morbo febris semper urget.

Signa carditidis similia, sed leviora, in rheumatismo cordis vel podagra adsunt; in his morbis autem diagnosin deducimus ex signorum metastasi ab aliis ad alias partes.

Angina pectoris, secundum Doctorem PARRY, ortum habet a vitio arteriarum coronariarum cordis, fere a conversione in os,—unde circuitus sanguinis, magna ex parte, per hoc organum impeditur; et quamvis sanguinis satis ad cor nutriendum immittitur, ut in quibusdam exemplis per molem sanamque duritiam hujus organi apparet, fere tamen minor copia quam necesse est ad subitam ejus et violentam actionem. Ex his videtur quod cor, quamvis ita depravatum, functionem

solitam perficere possit, dum corpus animusque quiescunt, etsi, ubi præter consuetudinem moventur, vires cordis, non pari ratione adaucta, labuntur.

Non dubitandum est, multa exempla quibus cor vitiatum fuit, sub titulo Anginæ pectoris auctores collocasse, quæ ex aliis causis, magis quam ex coronariis conversis in os pendeunt; quamobrem, propter plurima signa huic morbo assignata magna difficultate laboramus,—et diagnosin formare vix possum. In multis anginæ pectoris exemplis, ægri ossificationis diathesi obnoxii fuerunt; quatuor enim homines narrantur, quibus costarum cartilagines in os conversæ sunt *. In angina pectoris sanguinem detrahere proderit, quia hoc modo cor nimia plenitudine liberatur. Sed in palpitationibus ex infirmitate et idcirco ex irritatione orientibus, sanguinis detractio nocebit. Exercitatione, signa anginæ pectoris augentur, sed palpitationes minuuntur.

Burns, exempla quædam ubi in os cor ipsum conversum fuerat, narrat, quibus palpitatio nun-

---

"Medico-Chirurgical Transactions," vol vii.

quam adfuit; igitur inter signa huic propria enumerari non potest.

Cum valvulæ cordis in os vertuntur, (ut Doctori LÆNNAC visum est *,) notitia ejus bene per *Stethescopen* nobis afferetur, sono quasi felium blandentium edito; et manu cordis regioni admota idem sentitur.

Doctor FERRIAR pulsum in epigastrio in amplificatione cordis, multum distare docuit, a palpitatione communi; namque in illo cor sic sentitur, "giving a jarring sensation, the stroke seeming restrained, and succeeded by a kind of thrilling." BURNS autem de hac re aliter credit, et dicit signa esse, molestiam in thorace, et sensum subinde asphyxiæ; pulsum plenum, tardum et mollem, in uno exemplo non sæpius quam undecies in hora sexagesima parte pulsasse: cor etiam tarde sed æqualiter se contrahere sentitur.

LÆNNAC, in descriptione ejusdem morbi, ut videtur, sub titulo Dilatationis passivæ, dicit, ubi in ventriculo sinistro accidit, pulsum infirmum

---

* In citando LÆNNAC non est ex libro ipso sed ex analysi ejus—in "JOHNSON's Medico-Chirurgical Journal," vol. ii.

esse et mollem, cor parum palpitare, et sæpius actionem ejus non esse sentiendam,—sonitum per Stethescopen late sonorum esse et clarum, si regioni apicis cordis cylindrum admovetur. In iis exemplis venas jugulares turgidas esse notavit.

Si dilatatio in ventriculo dextro est, signa similia adsunt, sed sonus præcipue ad sternum refertur.

Hypertrophia simplex, vel Aneurisma cordis activum, sine amplificatione, raro invenitur. Ubi ventriculus sinister hoc modo afficitur, si Stethescope inter quintam et sextam costam admovetur, contractiones ejus quasi validissimæ, cum sonitu hebetiore, quam ubi partes sanæ sunt, percipiuntur. Contractio auricularum brevissima est, et parum sonora. Reverberatio cordis, solum in spatio valde circumscripto audienda est. In hoc morbo, etiam, æger assidue sentit cordis ejus actionem auctam esse: sed palpitationes tantum in paroxysmis accidunt, et in intervallis magis minusve levatur morbus. In hypertrophia simplice etiam sæpe pulsus nec intermissio neque irregularitas adest. Ubi in ventriculo dextro occurrit, major thoracis constrictio sub respiratione est,

color faciei magis livida fit, et venæ jugulares externæ pulsant. Per Stethescopen pulsus cum majore sonitu apud imum sternum quam apud costas sentitur.

In aneurismate cordis activo vel amplificatione ventriculorum cum parietibus crassioribus, quod sæpius accidit, signa ex illis omnibus formari videntur. Ventriculorum contractio impulsum validum, sonumque clarum Stethescopi dat. Auriculorum contractio plane sonora est. Pulsus late per thoracem audiendus est, præsertim in infantibus macrioribusque. Pulsus etiam tam vehemens fere est, ut vestes stragulaque agitet; apud carpum tamen sæpius admodum parvus est. Thorace percusso, sonus, a naturali valde distans, editur.

Quod ad Diagnosin tamen adhuc multum deficit,—posteaque magis quærendum est. Sæpe difficilius est, inter varias cordis læsiones quam inter has et signa palpitationis communis, discernere.

DE PROGNOSI.

Ex diagnosi, prognosis præcipue formanda est. LANCISUS * cordis palpitationem mortis subitæ signum esse posuit: "si fuerit frequens, si magna, si cum anhelitu, animi deliquiis, omni genere inæqualitatum pulsus."—"e contrario quidem, si palpitatio oriatur ex causa cordi obstante, nequaquam adjuncta, sed cum fluidis circulante, ut plerumque esse solet acerrimus ichor vel quidquid aliud, quod ad irritandas cordis fibras, plane fugitivum pertingit; raro abrumpendam illico vitam minitatur."

Exempla pauca mortis inter accessionem fuerunt, forsan ex paralysi subita exercitationem nimiam sequente.

CORVISART dicit, palpitationum periculum semper ex viribus durationeque causarum colligendum esse. Cum dubium est, ægro ipsi, sem-

* LANCISI Opera, p. 21.

per prognosin faustum dare oportet, ita ut in bona spe quiescat; namque ad curationem, timores quæ vitam miseram reddunt, discutere maxime convenit. Doctor BROCKLESBY, post narrationem exempli de quo jam dictum est *, sic scribit, "This recovery seems to evince that it may be often advisable to feed the eager wishes of the sick with proper confidence of a cure, in several deplorable cases, at least till a sufficient time for trying the efficacy of medicines hath been allowed—before the physician venture to pronounce a doubtful case desperate."

DE CURATIONE.

VIX necesse est dicere, quam celeriter huic morbo præsidia afferre oporteat; namque si solum functiones adhuc pravantur, quam cito, ex mora, cordis vitium supervenire possit, ignoramus. In hoc enim, sicut in aliis morbis, ubi functio diu

---

* Vide Pag. 19.

pravata est, fabrica læsa fere post aliquod tempus supervenit, et deinde ad periculum expergiscimur tum, cum vix ulla medicina valere potest.

Plurimi modi curandi vitium ipsius cordis, qui ab auctoribus variis statuti sunt, solum referri debent functionibus læsis, quoniam illud levari solum non tolli potest.

Imprimis de curatione dum accessio urget, deinde in intervallis, dicam.

Accessio autem ex corde convulso pendere fere putatur, et effectus medicamentorum quæ Antispasmodica vocantur, hanc rationem comprobare videntur.

In exemplis plurimis dum paroxysmus ingravescit, camphora vel æther multum prodest, et opium in magna copia admodum laudatur. Cum vix ulla spes manet, sanguinis missionem demum tentare licebit, ut credo, nisi in iis exemplis in quibus morbus *sine dubio* ex plethora oritur; propterea quod in plurimis ex *infirmitate* spasmus inducitur, itaque sanguinis detractio, infirmitatem augendo, nocebit. In plethora vero, etsi *cordis infirmitas* magis minùsve palpitationes excitat, tamen missio sanguinis sæpe utilis est,

causam remotam, nempe plethoram, amovendo, etiamque ita efficiendo ut cor infirmum sanguinis irritationem melius sustinere possit.

Vesicatoria parti vicinæ, cucurbitula sine ferro, pediluvium, et decubitum, medici etiam laudarunt; sed ex sensu strangulationis æger decumbere non semper potest.

Ubi palpitationes pro tempore intermittuntur, secundum causas morbi auxilia afferre debemus.

Si ex viscerum malis est, hydrargyrum in copiis ad morbum aptis præcipue prodest, et semper in iis exemplis utendum est, forma pilulæ hydrargyri, cum infusis amaris et aromaticis conjunctis, semper gratum esse videtur.

Acidum prussicum, minutis portionibus, in palpitatione cum dyspepsia, utile esse nuper dicitur *.

Dr. HAMILTON † dicit, se iterum iterumque purgantia in hoc morbo commode dedisse; et nonnunquam sanationem exemplorum pessimorum

* Vide ELLIOTSON "On Prussic Acid."

† "Treatise on Purgative Medicines," p. 199.

valde mirabilem fuisse; ita ut (addit) nunquam nunc in talibus signis desperare soleat, donec experientia, purgantia satis magnis copiis diuque adhibita, nihil prodesse docuerit. Adjicit quoque, quamdiu alvus rite ducitur, hos morbos nunquam accidere.

Doctor GREGORY etiam, in Prælectionibus suis, docuit, plerosque homines qui a se, in hoc morbo, præsidia quæsiverunt, curando concoctionem sanatos fuisse.

Ad hanc rationem medicamenta ex ferro aptissima videntur. LANCISUS * de morbo suo, et de curatione ejus, sic narrat: "Cum tria ante lustra pertinaci, mihique sensibili cordis contractione, indeque ortus pulsus intermittentia, ex hypochondriorum consensu, per sexennium laboraverim, usu tandem rhabarbari, chalybis, et juris viperini, perfecte convalui."

Aquæ Bathonicæ multum ad hoc consilium usurpantur; sed Cheltenhamicæ, quia purgationem simul cum ferri viribus conjungunt, magis conveniunt.

---

* LANCISI Opera, p. 21.

Commodum etiam ad aliam rationem tribuendum est, siquidem nihil tantum auxilii affert, quantum mentem ex perpetua solicitudine mœstitiaque servare.

In palpitatione nequaquam a corde læso oriente, exercitatio prudenter acta, simul cum aliis remediis, maxime utilis est. SYDENHAM, præcipue equitationem per paucas horas quotidie, laudat, quia animum firmat et ad hilaritatem conducit.

Inter alia corroborantia autem, ne lavationem frigidam moneamus cavendum est, quia * exempla sunt in quibus, in initio curationis, nocuit, inducendo plethoram in cor, quod jam functiones rite perficere non potest.

Societas, peregrinatio sine labore, vitæ regularitas, victusque simplex et concoctu facilis, omnia quodammodo adjuvant.

Conditio una tantum est corporis, scilicet plethora, palpitationes movens, quæ jure aliam curationem postulat. In hoc tentandum est, plethoram tollere, neque corpus infirmare, id quod

* "Philosophical Transactions for 1761."

efficere sæpe difficillimum est. Præcipue tamen purgantibus, exercitationi sub divo, et victui parcæ fidendum est. In plurimis missione sanguinis non opus est.

Ubi fluxus suppressi palpitationes excitant, necesse est eos, si fieri potest, reducere; sed si aliquod vetat ex parte sanguinem detrahere, fonticulumque perpetuum inserere debemus.

Hæc vero proposui hac potissimum ratione quod, ut sæpe accidere potest, multi morbi aliarum partium multa signa vel omnino eadem vel utrique similia signis cordis ipsius læsi ostendunt, qui morbi tamen curationem plane admittunt; ægri in tali re, ex præmissis, felicem spem concipere possunt. Neque hoc fecisse, ut mihi videtur, utilitate carebit. Nullus enim dubito quin spes ipsa aliquid conferre ad optatam sanitatem quodammodo potest; animo scilicet levato, et metu insanabilis atque miserrimi morbi amisso.

In hac dissertatione historiam hujus morbi studio tam digni, narrare conatus sum; delictaque inexperientiæ meæ referenda sunt, siquidem auctores vix ulli sunt, qui de hac re penitus tractaverunt, etsi tam bene de ipsius cordis vitiis

scripserunt. Indagationes igitur longæ per plurimos libros postulantur; ac me piget, quod quædam monumenta consulendi mihi opportunitas non fuit, per quæ forsitan historiam perspicaciorem dedissem, causasque et diagnosin melius deduxissem.

FINIS.

736 **Locock** (Carolus) Dissertatio Medica Inauguralis De Cordis Palpitatione. Edinburgh, P. Neill, 1821 £3 3s

8vo. 42 pp. Green calf tooled, g.e. Presentation inscription from author.

The writer of this thesis afterwards attained great eminence, for he became Sir Charles Locock, and as physician-accoucheur was present at the birth of all Queen Victoria's children.

In his thesis he gives an interesting account of the progress of Cardiac therapy, and latterly is chiefly concerned with Corvisart. He is, however, just in time to note Laennec's invention, "Laennec instrumentum cylindricum invenit, *Stethoscopen* dictum, per quod auscultatione, an structura ejus vitietur necne, scire possumus."

... by Fulton.

s). Dissertatio Medica Inauguralis de Cordis Palpitatione; quam, ımine, ex auctotitate Rev. D. G. Baird. FIRST EDITION, 8vo, *Edinburgh*, 1821 £10 10s.

ıst be one of the first, if not the first book written by an Englishman to advocate in diagnosis. In the preface to his "Original Cases" (1824) Sir John Forbes, whose ıd also appeared in 1821, said that with the single exception of Dr. Duncan of of no Doctor in the British Isles using auscultation in the clinic. Sir Charles Locock ıs gynaecologist, was one of Duncan's pupils, and it was to Duncan that he dedicated

of the work of Burns, Corvisart and Laennec, but on pp. 32-4, there is a section on of the stethoscope is clearly recommended from the author's personal experience

1/-